





BIBLIOTECA CENTRALE DI MEDICINA - TRIESTE

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICA

DE

**A B O R T U**

EJUSQUE PRAECAUTIONE

Q U A M

*CONSENSU ET AUCTORITATE*

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

D O M I N I

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

D E C A N I,

N E C N O N

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

P R O

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

publicae disquisitioni submittit.

**C a r o l u s T ü r k,**

Moravus Neostadiensis.

---

*In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die Aprilis MDCCCXXXVII.*

---

Vinbobonae,

ex typographia viduae Francisci Ludwig.



**Illustrissimo**

*Domino Domino*

**Carlo Türk,**

**Caes. Reg. Secretario supremae**

**justitiae Lincensis.**



**V i r o,**  
Ingenio, integritate  
aeque ac humanitate  
insigni  
**De suis optime merito**  
tamquam  
Animi gratissimi sincerique cultus  
monumentum  
Specimen hoc inaugurale  
sacrat

devinctissimus  
*Auctor.*

## Origo nominis.

### §. 1.

**A**bortus ab aborior, nil aliud esse dicitur, quam intermori, occidere, vel potius contrarium est ab — oriri; — sicut quoque de hominibus morientibus denasci ea ratione dicere solebant. Graeci scriptores *αμβλωμα* seu *αμβλωβιν* vocant.

## Definitio.

### §. 2.

Est abortus nihil aliud, quam foetus nondum maturi et vitae extra maternum uterum continuandae idonei, exclusio, aut violentis in matrem aut foetum incurrentibus causis concitatus, vel a causis intra matrem vel ipsum foetum abditis et enatis inducta.

Diximus nondum foetus maturi exclusionem quo ipso intelligimus istum, qui nondum attingit terminum illum, quo natus foetus vitam conservare posse experientia docuit. Solet autem ad hoc requiri, ut septem menses intra

materni uteri claustra transegerit, antequam communis aurae usuram accipiat; partus itaque, qui ante septem menses, quacumque causa obvenit, abortus dicitur, discrimine partus post septem et ante tempus determinatum i. e. elapso mense novo, qui praematurus audit.

§. 3.

Certe et merito abortus calamitas est, quae non tantum sanitatem generi femineo detrudit, sed etiam felicitatem domesticam saepissime inter matrimonio nuptos perturbat, digna, ut a medicis summa et maxima animi intentione tractetur, imprimis, quod sit ex numero illorum, quae satis frequenter eveniunt, et non solum humanis feminis, sed etiam illis ex quadrupedum genere accidere solent. Frequentiores tamen abortus esse in humano genere, quam animalium, observationibus credimus, quae in genere comprobant: omne morborum genus inter homines amplius grassari.

C a u s a e.

§. 4.

Causae rite et determinate abortum inducendae non adsignare valent, quoniam certa requiritur dispositio in feminis, quae serenus aut ocyus facilius aut gravius abortum gignere



sinit, et absque dispositione abortus non provenire, experientia docet: nam, in gravidis abortum spectantibus, usis saepe remediis multis abortivis, tamen non provenit, in aliis contrario iterum causticula minima innocens, cujus neque mentio fit, abortum provocari visum est.

§. 5.

Primum huc numeratur aetas; nam certae annorum constitutiones notatae sunt, quibus inter homines ac animalia caetera abortus frequentiores accidunt. Hippocrates jam mentionem fecit de aetate fauctore abortuum; sic aetas juvenilis, temperamento cholericum adhuc imbuta, magnoque desiderio in Venerem impulsam, abortum saepissime patitur; e contrario vero character mitis patientia mirabilis, quacumque ejus modi feminae omnia quoque toleratu gravissima perferrant, quoque pulsus nec quidpiam mutationis in sanguinis fluxu ostendit, rarissime, exceptis causis gravissimis abortum patiuntur.

§. 6.

Observatum quoque est illud, eandem feminam, quae semel conceptum foetum effudit, valde periclitari, ne saepius eandem cala-

mitatem subeat. Si medici veteres narrant casus, quae quoque nunc temporis saepissime observantur, ubi feminae sexies imo saepius abortum fecerunt, et nullum prolem in lucem edere pollebant. Sennentus medicus senex jam refert historiam, quam ipse mirabilem agnoscit: Scilicet feminam primum filium grandiusculum laboriose enixa, postea septies abortum ejecit, et quod mirum, etsi diversis temporibus, et nunc longiore nunc breviora a conceptu temporis spatio, nimirum nunc secundo nunc tertio, imo quoque quarto, imo quoque quinto mense abortiret; tamen omnes abortivi ejusdem magnitudinis fuerunt, pollicis articulum adaequant, membrorum tamen delineationem exhibentes, et vasa umbilicalia instar albi filii subtilis.

Sub graviditate semper vehementissimo vomitu infesta erat. Exemplum aliud nuper ipse expertum de abortu ex terrore capto ad demonstrationem sententiae meae inducere scio. Femina nempe robusta et juvenis primum quem conceperat foetum, felici partu ediderat, jamque alterum usque ad tertii mensis finem gestaverat, quum mensis tempore sola forte dormi esset, et gravi tempestate aborta valde angeretur. Quum vero fulmen aedium, quas habitabat, in ipso frontispicio finderet, et tegu-

las cum trabium fragmentis, non sine terribili fragore dejiceret, tanto terrore exanimata procidebat, ac sic semimortua abortum faciebat. Haec femina ab illo tempore ultra viginti annos superstites, saepissime et plus quam vicies concepit, omnique artis praesidis licet usa et munita, effugere tamen non potuit, ne tertio mense ad finem accedente exterricinos excluderet. Viribus corporis parum attriverit, sed in melancholiam valde tristem incidebat.

§. 7.

Etenim plures numerantur a medicis casus, secundum quos feminae semel aut saepius abortum captae partum rectum non fecerunt; tamen quoque per plures jam ad justum terminum foetum post plures abortus repetitos, gestaverunt. Id tamen puto plerumque obtinere, ut, quo magis juvenis aliqua in consuetudinem abortiendi semel abiit, et quo gravior causa fuit, quae eam in hanc calamitatem deduxit, ut terror gravissimus, eo difficilius ea a malo hocce emergere soleat. Idem dicendum de iis, quae semel malis aertibus aborsum sibi concitarunt, foetum non, et si est, rarissime ad determinatum tempus portabunt.

§. 8.

Abortus ipse modo gravius modo facilius perficitur, modo cum magna virium prostratione, modo cum multa sanguinis jactura, modo facile absque omni molestia feminae; sic quotidie videmus, quod legitimae partu aliquae feminae admodum facile defungantur, aliae parturientes plurimum et cum periculo laborent; ita etiam revera abortus quibusdam sic facile et celeriter succedit, ut memorantur utique, quae inter saltandum excusserunt foetum, atque ex servitiis multae, quae ventris sui proventum celaverunt, inter labores, a quibus se paululum modo subdlexerunt, abortum fecerunt, et ad eosdem impigre redierunt.

§. 9.

Sat mihi de abortu dixisse videor, nunc ad curam vel potius ad aversionem vel praecautioem abortus transgredimur. Quisque autem curare vult morbum, debet causam respicere et remove. Causa proxima autem abortus aut est externa aut interna. Causa externa non adgredi potest, quoniam jamjam cum effectu medico agendum, ergo effectus causae est causa abortus, ergo semper causa interna

respienda, nisi dynamice aut chemice semper expulsio foetus ex utero inducitur; — proxima et imediata causa efficiens est facultas uteri expultrix irritata vel offensa: —

Consistit autem haec facultas in strictura partium uteri elastica, spasmodico convulsiva, quae causa proxima est et imediata, quae placentam, qua mediante foetus cum materno utero cohaeret, avellet, eundemque arte constricto fundo ad cervicem propellit, eum laxat et simul osculum uteri antea clausum aperit et dilatat.

§. 10.

Inducta nunc causa proxima et imediata abortus, nunc erit indagandum, ut haec inducatur. Causae, quae valent inducere contractionem uteri variae esse possunt, ergo quoque earum agendi modus variari debet, et secundum conceptibilitatem individui major minorve vehementia requiritur ad id perficiendum.

Sic terror ante omnia inducere debet, de quo frequentissimos abortus gignere scimus, ut exemplum supra narratum nos edocet. Porro lapsus gravior et ictus abdomini praegnatis mulieris rudiori impetu et iracundia ad summum excandescendiae gradum irritata.

## §. 11.

Terror mihi ageri videtur — quod humores vitales ex externo ad internum compellat, unde pallor et frigus extremitatum. Visi sunt, quibus post terrorem subtaneum insigniorem fluxus sanguinis illico substitit; testantur porro insignes cordis palpitationes de regressu sanguinis ad interiora. Nam, si illi humores qui per externum habitum dispersi fluebant in interioribus partibus coacervantur, ibique diutius subsistunt, necessarium sane est, tanto magis omnia vasa extendi et inferciri, quanto plus in illis acervatum est. Eas autem partes oportet majori copia obrui, in quas plura vasa sanguinem convehunt. Jam in uterum confluit sanguis per complura vasa arteriosa, quae in magnos sinus abire in uteris impraeg-natis manifestum est; venae autem amplae et tortuosae, valvulis, quae progressum ex illo adhibeant, destitutae sunt, et sic coacervandis intra se humoribus insigniter favent. Necessarium itaque est uteri substantiam tali rerum statu humoribus valde sufferciri et vasorum capacitatem extendi. Quo tam celeriter et impetuose facto per vasorum excretorias extremitates erumpit sanguis et nexus placentae cum utero, tantae violentiae impellentium hu-

morum impar, disrumpitur, dumque arteriæ se restituere vi sua systallica nituntur, adhibent illum effluxum, cum quo ipse conceptus proluitur.

§. 12.

Quantum ad contusiones rudiores lapsu verberibus illatas pertinet jam indicavimus, quod ad hoc laesionum genus accedat quae modo exposito adsunt. Habent autem insuper duo satis potentiae: primo dolores, quorum vehementia spasmodico-convulsium illud abortui conjungi solitum excitat et intendit; deinde congestiones etiam vehementiores adferrunt, quod illae vehementes solidorum contusiones fibras quassant et atterunt, ut extravasati humoris collectio major vel minor, magisve superficialis aut profunda accidat; quae nisi revulsione aliisque remediis convenientibus corrigi et tolli possit, ad inflammationem ejus eventus tendit.

§. 13.

Inter illa, quae a longinque viam abortui struunt corporaque numerari debet humorum nimia abundantia, per otium et victum pleniorrem collecta. Repletæ enim mulieres, prae aliis mediocri humorum quantitate gaudenti-

bus fortius utique sentient, omnem noxam a terrore, metu, tristitia, aedemque omnem causam, a qua turgescunt humores, ut potum spirituosum, medicamina excitantia, aërem calidum australem, colorem et exagitationem a motu, balneo, iracundia utique gravius penferrent.

Inter abortuum causas referri etiam debet foetus ipsius diuturna imbecilitas et tandem mors ipsa consequuta. Possunt utique variae causae hoc efficere quae a matre non videntur omnes deducendae. Multa enim in tam tenera corpuscula cadere possunt fibrarum minimarum vitia, quae cum in adultis maximam vim habeant, tanto majorem in his exercebunt, crebroque visa sunt in exclusis foetibus organicae structurae vitia insignia omnis generis.

§. 14.

Inter causas remotioris accusari frequenter videmus dispositionem, et revere magnam imo maximam in abortu exerit; nam dantur casus, ubi feminae magna violentia vehementissimis remediis abortivis usis abortum edere nequeant, aliae iterum in actionibus sanae, vegetae, bene constitutae feminae, saltem per primos satis multos annos, edunt et bibunt, indeque nutriuntur, habitum corporis lauda-



bilem conservant, actiones omnes peragunt, coitum, si non desiderant, neque tamen valde refugiunt, concipiunt, cum euphoria ad certum tempus gestant foetum, deinde in calamitatem recidunt.

§. 15.

Res sane digna scrutinio videtur, ut inveniamus, in quo culpa delitascit, utrum fluidis an solidis debeat; et si utique firmis partibus tribuendam culpam decernamus, utrum magis fibrarum rigiditati adscribi debeat, an earumdum flaccidae relaxationi. Equidem non video, qui possimus hic fluidorum qualitatem ulla suspicione onerare, quum ad omnia satis bene habeant, si demas abortiendi frequentiam. Si in quantitate humorum haereret vitium, operae praetium facerent tempestivae persectas venas evacuationes, quod experientia non confirmatur.

§. 16.

Non possumus itaque, quin missis fluidis de vitio in firmis partibus quaerendo suspicemur, idque tanto magis, quo manifestius est, terrorem nonnisi per firmarum partium constitutionem laesam in fluidorum motum agere posse. Hanc autem laesionem esse utique

spasmodicam potius stricturam quam relaxationem fibrarum, vero simili conjunctura percipimus ex pallore, habitus externi strictura, trepida artuum concussione, aliisque similibus quae nonnisi in illis affectibus observantur, qui sine dubio ullo ad spasmodicas referruntur. Quamquam igitur illa motus tonici exacerbatio initio se maxime prodit in habitu externo, et per humores hinc ad interiora pulsos damnum valetudini gravidarum et foetui infert: nihil tamen prohibet, quo minus foetum jam excusso internis partibus insideat, firmiterque inhaerescat, ut deinceps omnino difficile sit illum tensionis modulum, qui fibris semel inductus est, superare.

§. 17.

Inter feminas, quae ad abortum dispositae sunt, referri a multis magisque viris video illas, quae fluore albo laborant. Sic memini legisse, femina, quae ad matrimonium nonnisi triginta jam annis major accesserat, et per tres aut quatuor annos sterilis manebat: tandem experiebatur, quem tota vita ignoraverat fluorem album, cumque satis vehementem ac fere assiduum per tres menses, quo toto tempore non desinebat medicamina conquirere et

adhibere. Quum ille aliquantulum remississet, absque eo ut menses prodirent, conspicua graviditatis signa emicabant, quae sua etiam tempora decurrebant, donec finito justo graviditatis spatio puerpera felix reddebatur. Rediebant justo tempore justi menses, nullumque erat fluoris albi vestigium per satis multos menses. Quum iterum concepisset, pristinam scenam reparabat satis molestus fluor albus eadem lege decurrens. Atque id quinquies omnino factum probe memini, absque eo ut ullus eveniret abortus. Ex eo satis patere puto, quod non omnis fluor albus aequè magnum offerrat corrumpendi foetus periculum, Neque tamen propterea labefactare velim fidem eorum, qui cum tanta certitudinis significatione periculosum gravidis hunc affectum docuerunt; possunt enim alii causarum concursus alios producere eventus.

§. 18.

Alia causa, experientia probata, est ab usus coitus sub graviditate, imprimis ruditer tractatus; nam sub hocce actu causa psychica et materiale omni vita quasi in unum commutata esse videtur, sanquis in partem libidinose irritatam ruit, et expansus uterus sanguine

accumulato ad contractionem determinatur, et abortus producitur.

§. 19.

Dicitur quoque aliqua ad abortum facile et praeter opinionem citius faciendum dispositio a puerperio praegresso, quando vel integra placenta non fuit educta, vel uteri a sanguine non satis repurgati citius sese constrinxerunt, quam oportebat, adeoque intus concluderunt aliena et noxia futura.

§. 20.

Huc quoque adduci merentur medicamina abortiva, aphrodisiaca — a Graecis φθορία dicta — et omnino instrumentorum et manualium operationes, ad quas feminae, quae in propria viscera saevire, nec consciae mentis furias nec vitae suae periculum metuentes, confugunt. Certum est utique illas, quae dispositae foetum perdere nolunt, adeoque abortum praecavere, omni ope quaerunt, ab illis sibi cavere, neque volentes uti talibus; etiam satis mitia purgantia, imo laxantia in ejusmodi feminis abortum proferre valent; quare omnino habent tales, aut medici, quibuscum talibus res est, cur sibi severam legem statuunt, omni medicamine cautissime utendi, aut plane

ab eo abstinendi, donec omnes ad abortum spectantes motus conquieverint,

C u r a.

§. 21.

Causarum, qualiscunque inductarum in uterum gravidum agebat, prodroma symptomata instantis provocat abortus: dolor in regione sacrali et abdomine, recessus turgoris mammarum, horripilationes, sensatio frigoris juxta columnam vertebralem, sensus oppressionis in regione hypogastrica, fluxus mucosus e vagina et fluxus sanguinis; haec dum intrans symptomata, medicus et gravida ad abortum praeparati sint proventuram et medicus omnibus armis istum oppugnet sit necesse.

§. 22.

Sunt sequelae abortus, quae tristi modo in vitam et sanitatem maternam agunt, et eo tristiores et periculosiores, quo saepius occurrunt praeter foetum deperditum facillime exinde oriundae metrorrhagiae, quae mitigatae et sublatae debilitatem saepe magnam et periculosam relingunt, inflammatio uteri et permanens ejus debilitas topica, dispositionem in sequente graviditate in eodem tempore iterum abortiendi relingens.

§. 23.

Instantibus hisce symptomatibus supra narratis quam maxime respiciendus est eorum character, an sit inflammatorius an spasticus, et cognoto indicationes intrant: inflammationem mitigare et spasmus remediis aptis solvere.

Remedium ambabus satisfaciens indicationibus princeps est situs horizontalis et quies animi et corporis, aversatio coitus et omnis pressionis abdominis per ligamenta, et diaeta sit levissima, vegetabilis, propterea usus potentiorum et ciborum spirituosorum et excitantium arcte prohibeatur, tam diu, usque dum omnia dispareant indicia.

§. 24.

Sub caractere phlogistico in individuis robustis indicatur phlaebotomia — in debilibus suadet cel. Hufeland octo usque duodecim hirudines ad mammas, tamquam locum, in quem derivatio ab utero optime fieri potest applicare. — Interne remedia antiphlogistica: nitrum cum cremore tart: fruct: tamar. etc. Externe lotiones cum spiritu matric: in regione sacrali et pubis. Pro potu refrigerantia, acidula. Hisce adhibitis, si adhuc fracta phlogosi dolores manerent, antispastica in usum trahere medici suadent.

Character dum existit spasticus doloribus vehementioribus non permanentibus fere intermittentibus sub pressione fere non adaugendis se prodens indicantur antispastica: Infus. Chamom: rad. Valer. sylv. oleosa cum Extr. Hyosc. omni hora ad granum unum, et frictiones externe cum oleo Hyoscyam. Tinct. opii etc. Complicationes gastricae, si forte adessent, remedia refrigerantia evacuantia levia quadrant.

Si debilitas magna universalis producta ex nimia humorum jactura vel causa alia hanc efficiens indicantur methodus roborans restaurans cum diaeta lauta digestioni adcommodata et coitus per longius tempus interdictio.

§. 25.

Indicationibus omnibus impletis, tamen abortus saepe prohiberi non potest; crescunt dolores, augetur sanguinis fluxus e genitalibus. In ejusmodi casu therapia in gradum metrorrhagiae dirigitur; modesta periculo non urgente haemorrhagia expectat medicus et partus in modum naturalis proveniet; increscit sanguinis fluxus, periculum eminent debilitatae matri, sic partus veniet accelerandus per tinct. cinam. porrectionem, per instillationem naphae in abdomen, aut per frictiones, quae

uterum ad contractionem determinant, et si adhuc non partus provenit perforatio membranarum ovi indicatur, ut uterus ad contractionem determinetur, sic adhuc increseat curam respice metrorrhagiae vehementis.

§. 26,

Dispositio ad abortum revere morbus evadere potest, ita quidem, ut in eodem tempore sub qualibet graviditate abortus intret. In ejus modi casu recommendantur martialia sive interne consummenda, sive externe pro balneis imprimis thermae Pymontenses, extra graviditatem. In graviditate ipsa per tres vel quatuor menses quies quam maxime observanda, diaeta sit antiphlogistica et obstructio alvina fere semper committans clysmatibus aufferratur. Ubi phlethora urget phlebotomia in brachio et lavatio quotidiana abdominis cum spiritu Matric. Etiam Zincum ad praecautioem abortus a multis laudatur, et mixtionem Elex: acid: Halleri drach: unam Essent: Ambrae drach: duas ter quaterve de die guttas triginta cum pauxillo aquae consummatis cel: Hufeland suadet.

---



---

## THESES DEFENDENDAE.

### I.

Sthetoscopium per se insufficiens, saepius autem maxime necessarium sistit instrumentum in dignoscendis pectoris morbis.

### II.

Tubercula non sanantur.

### III.

Instinctus aegri non vilipendendus.

### IV.

Medicus non quod opus, sed quod necesse est, praescribat.

### V.

Non solum ex pulsu judicandum, sed ex aliis simul collective sumtis circumstantiis.

### VI.

Mercurius crudus intus non est dandus.

### VII.

Mercurius Marti inimicus.

### VIII.

Nullum venaesectionis surrogatum.

IX.

Non dantur certa signa conceptionis.

X.

Paracentesis in ascite non solum palliativum, sed etiam radicale est saepius remedium.

XI.

Phlebotomia in hydrothorace acuto vitam non solum non delet, imo saepe sola, et nonnunquam iterata eam solvat.

XII.

Congruum diaetae regimen saepe princeps remedium.

XIII.

Turbata functio cutis maximi numeri morborum causa.







Dissertationes  
medico-  
practicæ.

M.D.C.C.